



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Reuerentia Ioannis erga Superiores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

Observantissimus semper extitit suorum Superiorum, in quibus, utpote Dei Vicarijs, diuinam auctoritatem reuerbatur; quos nunquam, nisi iuberetur, aperto alloqui capite sustinebat: quorum non solum mandata, sed & iudicia comprobabat; quibus denique domesticorum omnium animos ita conciliare nitentur, ut æquali amore reuerentiaque aduersus eos ferrentur, ipsique pari fiducia, sine furo, verborumque inuolucris, mentis etiam patefacere adyta. quæ de re sic in hæc verba scripsit: *Apud Superiores meos & Patres spirituales esse conabor candidus totus & sincerus, & veluti aqua purissima.* Neque solum non sensit ullam unquam ab aliquo Superiorum animi abalienationem, sed neque cogitando sibi in mentem venisse ullius auersionis, aut ab ullo Superiorum, aut eorum præceptis, aut iudicijs & opinione indicavit, tanti eorum faciebat auctoritatem.

Qua eius reuerentia in Superiores.

Trium mihi rerum rationem hebdomadis singulis constantissime reddebat; an silentij leges obseruasset; an de rebus sacris sermonem instituisset; an propositorum inter orandum factorum tenax fuisset. Tria sibi esse solatio præ ceteris in vitâ, dicebat; primum, castitatis illibatæ florem abs se esse perpetuo conseruatum: alterum, numquam deliberatâ voluntate commissam abs se

Trium rerum rationem reddit quibusque hebdomadis.

Tribus præcipue fruitur solatijs.